RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
ad
EXEQVIAS
Matronæ primiceriæ & piissimæ
ELISABETHÆ
natæ DREUERIÆ,
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimiq;
PAULI WAGNERI,
J. U. D. & Practici Celeberrimi,
Relictæ Viduæ
horâ 3. solenniter concelebrandas
ACADEMICOS PROCERES
ET CIVES
humanissimè invitatos
cupit.

DE Elisabetha Hungariæ Regis cujusdam filia, eaqve ob vitæ sanctimoniam Sanctorum Ordinibus adscripta, ex Legendis inter alia Frater Ordinis Franciscani Pelbartus in Pomerio suo memorat, qvòd, posteaqvam in CHRISTO placidè obdormiverit, *de corpore aromaticus sudor cunctos refecerit, & tandem corpus in sepulchro oleum* (ita enim loqvitur) *redundârit.* Siqvè causam miraculi hujus ex illo sciscitetis, eam in merita Elisabethæ, solenni Monachorum more, mox rejicit, *pro casto* qvippe *animo & mundo corpore odoris suavitate fragrâsse, proq; misericordiæ operibus, quæ hac in vita exercuerit, oleum de corpore ejus tumulato emanâsse* affirmans. Causam autem odoris neqve diffusi neqve percepti à Cuculligero Fratre dari, nemo non emunctioris naris facilè subodoratur. Nam ut tota illa Legenda, veriùs Lügenda, non nisi aniles redolet nænias, ita qvicqvid aromatis atqve olei illius est, non aliunde, qvàm ex rancidis putidisq; commentorum thecis est depromptum. Idem censendum de odore illo cœlestium ungventorum, qvem corpus Deiparæ mortuæ spirâsse idem Pelbartus in Stellario ex Cosma aliisqve nugivendulis refert. Haut infitendum interim, Viduas castitate & sanctimonia præclucentes præ aliis Viduis hircum olentibus olere optimè, no-

menqve post sese effusissimo ungvento diffusius relinqvere. Qvam laudem jure optimo maximo sibi vendicat ELISABETHA nostra, Matrona, inqvam, pientissima & planè incomparabilis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimiqve PAULI WAGNERI, J.U.D. & Practici famigerabilis Vidua. Cùm enim pietas castitasqve ejus sint virtutis & efficaciæ, ut hominem fragrantissimis veluti ungventis perfundant ac perpluant, nulla temerè Lipsiensium Matronarum fuerit, qvæ plures gratioresqve auras, WAGNERIA hâc, de se sparserit. Et nunc qvidem, posteaqvam non secus ac lucerna, cui oleum desit, expiravit, tantum abest, ut benè olere desierit, ut rejuvenescat potiùs cum anno ipso, famâqve efflorescat violis, rosis & liliis omnibus fragrantiori. Est autem nostrarum qvoqve partium, CIVES HONORATISSIMI, ut tàm rarum tàmqve carum Matronalium Virtutum odorem ad posteros qvoq; inviolabilem transmittamus. Ægyptii, uti regionem incolunt ungventis, teste Plinio, accommodatissimam, ita corpora defunctorum non aqvis tantùm odoriferis lavant, sed & cedro, myrrhâ, cinnamomo, stacte, aloe, croco, opobalsamo, aliisqve pretiosissimis rebus perlinunt, eâ fini, ut imputribilia asservare illa, posterisqve suis tanqvam exempla studiosè imitanda possint proponere. Nec alio ex fonte sepulchralis uncturæ mos ad Ebræos tanqvam rivulus dimanavit. Cùm enim Josephus, emendatissimus ille Ægyptiaci regni administrator, Parentem suum Jacobum pollingi de more regionis curaverit, ecqvis non videt, cum corpore Patriarchæ etiam ipsum funeralis Unctionis ritum in Palæstinam fuisse deportatum? Nos verò non tàm corpus WAGNERIÆ verminanti putredini exempturi, qvàm famam ejus perpetuam reddituri, insuper habitâ Ægyptiorum pollincturâ, WAGNERIAM perennivivo bonæ

bonæ memoriæ oleo perfundemus. Ac primùm qvidem, si vel patriam vel genus illius spectemus, vel inde satis argumenti nascitur, eam aliis sexûs sui Viduis anteferendi. Nata enim eâ in urbe est, qvæ & Academiæ & mercaturæ flore nobilitata, pulcherrimisqve Germaniæ urbibus jamdudum accensita est, in hac urbe, inqvàm, Lipsiensi A.O.R. M.D.XCIII. d. IIX. Augusti, Patrem sortita Virum eximiæ prudentiæ atqve amplitudinis ABRAHAMUM DREUERUM, Senatorem Curiæ Philuræ cordatissimum, matremqve EVAM, ex honestissimo SEYBITHIORUM genere oriundam. Sed longè svavior virtutum odor, qvo per exactam matris disciplinam ab herbescente ætate (nam Pater A. M. DC. d. XII. Junii viventium numero eximebatur) est imbuta. Neqve enim pietati tantùm consecrata maturè, sed ad rei qvoqve familiaris curationem, futurumqve adeò matrimonium feliciter præparata est. Qvâ re factum, ut laudes ejus odoratissimi balsami instar se diffunderent, facilèqve, sed non sine divinâ adgubernatione, devincirent sibi & veluti fascinarent Viduum hactenus mœstissimum D. WAGNERUM, Causarum patronum haut incelebrem. Cui ipsi cùm d. VIII. April. A. E. C. M. DC. XVI. maritali annexa esset vinculo, arctissimo Conjugem Amplissimum amore complexa est, pignoraqve, qvæ testari de illo poterant, benedicente Numine, sex tulit, PAULUM videlicet, nunc JCtum Celeberrimum, & Consulem Patriæ suæ laudibus nostris superiorem, ELISABETHAM, CHRISTIANUM, CHRISTOPHORUM, CONSTANTINUM & CHRISTINAM. Qvemadmodum autem nullum tàm dulce tàmqve concors matrimonium est, qvin fellis qvidpiam absinthiiqve habeat, ita amorem tàm edecumati Paris non unus luctus ac mœror conturbavit. Mater enim sex liberorum facta WA-

GNERIA præter unum primogenitum reliqvos omnes maturo fato extinctos vidit, postq; illos dulcissimum Conjugem pestifero malo sublatum, die videl XIX. Novemb. Anni M. DC. XXXIII. qvo contagiosa illa lues per terras hasce immane-qvantum grassabatur. Qvanqvam, qvicqvid tristitiæ ac damni tot mortes attulerant, in Filio superstite, qvem diximus, sat abundè compensatum est. Hunc enim non ἀντιπελαργοῦντα tantùm ad extrema usqve experta est, sed & per gradus ad summa honorum fastigia ascendentem vidit, vidit, inqvam, J. U. Doctorem, Facultatis Juridicæ, Curiæqve Provincialis Assessorem, Proconsulem, imò Consulem ipsum & Scabinum undiqvaqve bene-merentissimum. Qvin & maritum vidit, felicemqve numerosæ prolis patrem non sine uberrimo gaudiorum maternorum proventu. Etenim cùm is A. seculi hujus XLVII. Calendis Novemb. Virginum Lipsiensium decus MARIAM, Viri prudentissimi SEBASTIANI OHEIMII, Ædilis amplissimi, filiam solenniter sibi sociâsset, toties totiesqve pater factus Matrem Optimam jucundissimo Nepotum Neptumqve intuitu mirificè recreavit, susceptis ex OHEIMIA laudatissima liberis undecim, PAULO, SEBASTIANO, CHRISTIANO FRIDERICO, GOTHOFREDO, nunc LL. Cultore strenuo, & Avitæ Virtutis felicissimè æmulo, CHRISTIANO AMANDO, MARIA ELISABETHA, CHRISTINA MARGARETHA, CHRISTOPHORO, SOPHIA DOROTHEA, CHRISTIANO & GOTTLIEB CHRISTIANO. Qvid? qvod non Aviam tantùm, sed Proaviam qvoqve Matrem reddidit, traditâ in matrimonium Viro Plur. Rev. Nobiliss. Amplissimo, Consultissimoqve PAULO FRANCISCO ROMANO, J. U. D. Prof. Publ. Facult. Jurid. Assessori, & Canonico Numburgensi, filiâ dilectissimâ MARIA

ELISA-

ELISABETHA, qvæ terno partu Aviæ ſuæ tot proneptes MARIAM ELISABETHAM, GERTRUDIN MARGARETHAM & JOHANNAM CHRISTINAM, tanqvam dulciſſima grandiſſimæ ætatis oculiſeria exhibuit. Ad WAGNERIAM autem ipſam ut revertamur, illa, ex qvo Conſorte ampliſſimo, cui incredibilem in morbo fidem approbârat, orbata erat, exemplar Viduæ Chriſtianæ edecumatum qvoddam per annos XL. & II. (rariſſimo Me-Chriſte exemplo!) repræſentavit. Qvantumvis enim cum decumanis illis & peſtis & belli fluctibus, morbisq; ſubinde non unis conflictari neceſſe haberet, qvin & naufragium maternæ fraternæq; hæreditatis faceret; non migrabat tamen conſtantiam, & qvod in ipſa erat, robur animi, qvin ad Ideam Viduæ Paulinæ ſeſe conformans, ſpem unicè collocabat in DEO, animumq; adeò nec luctibus nec calamitatibus ullis patiebatur everti. *Habet* enim *Virtus*, ut Verulamius ait, *ſimile qviddam odoramentis qvibusdam pretioſis, qvæ fragrantisſima ſunt aut incenſa aut tuſa.* Neqve præſentem illa propitiumq; DEUM non agnovit, qvippe qvæ non ſarta-tecta tantùm in tot acerbis caſibus conſervata eſt, ſed & toties per FILIUM ad ſumma qvæq; evectum, perqve tot Nepotes, Neptes, & Proneptes refecta ſvaviter, & ad ſummum deniqve tùm ætatis tùm matronalis gloriæ apicem perducta. Cæterùm tempus omne poſt publicas acroaſes, ordinariumqve ſacræ Cœnæ uſum devotiſſimis precibus dabat & ſacrorum librorum volutationi, vitæqve tandem ſatur ac negotii cereviſiarii (nam jure coqvendæ cereviſiæ per ſexaginta annos uſa eſt) nihil aliud, qvàm vitæ melioris lucem anhelabat. Documento ſunt tot dicta Biblica, totqve rythmi ſacri, qvos poſt pientiſſima fidelisſimaq; ad Nepotes dulcisſimos monita, Curriculo

culo

culo Vitæ ſuâpte manu conſcripto adjunxit. Nec defuit votis illius DEUS vitæ autor & ultimæ horæ Determinator, qvin WAGNERIAM ætate feſſam, viribusqve defectam d. V. Martii Curru Heliano in cœlum evexit. Jamqve nomen ejus per totam urbem diffuſum eſt balſamis omnibus ungventisqve fragrantius. Nos, ut Exuviis honoratiſſimis ſua qvoqve juſta perſolvantur, TANTI FILII TANTAM MATREM ſupremis honoribus horâ III. afficiamus & veluti pollingamus! Neqve enim aliam qvis temerè extremam unctionem à nobis efflagitabit. P. P. Lipſiæ d. X. Martii A. E. C. M. DC. LXXV.

Literis WITTIGAVIANIS.